



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XVII. Etiam alias terras bonis & laborem non fugientibus, bonas  
esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Matris sacra passim sunt in Bauaria, & tota Germania; vt de Laureto & Italia, Gallia, Hispania nihil dicam; in quibus terra ipsa & locus, diuinam quandam virtutem accepit, sanandi morbos, pellendi spiritus immundos, varijsque malis pressos leuandi, vt merito possit terra benedicta, terraque sancta nominari, terra illa promissionis multis retrò seculis significata. Quam obrem eximium mortalibus beneficium à Deo datum est, in illa terra, quæ fuit benedicta fructuum vbertate, Christi sanctitate, Matris Christi imagine; quin & representatione celestis patriæ, quæ est terra viuentium, terra benedicta, terra promissionis, terra sancta & Sanctorum. Hæc aut ignorant es simpliciter, aut desistantes audacter, vt Tertullianus loquitur, Conditorem tradidit, quasi homines è Paradiso transfuenas, omnes ad Caucaſum regârunt.

Tertullian.  
lib. de cult.  
femin.

## C A P V T X V I I .

*Etiam alias terras bonis, & laborem non fugientibus bonas esse.*

**E**ste ita, vt diximus, indubitatè fatebuntur, quicumque diuinis literis credunt. Sed obijcient, Non esse omnem terram sanctam, neque omnem posse, ab ea felicitate vocari benedictam. Vt igitur, inter hirundinem & lusciniam, ita & inter terram & terram discrimen magnum interuenire. Aliter enim vitam in Tibure, aliter in Sardinia agitari. Steriles esse, plurimis in locis, agros; arida prata, solum sterile, paludosos campos; arenosas regiones; irritum labore in cultibus feminari. Et ibi quoque, vbi pinguis est gleba, nihil sponte prouenire. Denique omnem messis spem sudoribus irrigandam. Nimirum omnis querela, aut impatiens est, aut stuporata. Stupidæ enim mentis est, omnia ab vno loco exigere. Alibi Ceres, alibi Bacchus; alibi panis, vinum alibi quærendum est. Neque spicas de vinea vellere, neque vbi feminatum est triticum, racemationem facere oportet. Numquid colligunt de spinis vnas, aut de tribulis ficus? Alia alibi feliciùs proueniunt, vt commercijs sit locus, & causa humanæ societatis. Nemo foris emeret, si omnia homini nascerentur. Et, vt videas, omnia prodesse, ipsa etiam sata aliunde.

Matth. 7. 16.

aliunde aduehuntur. Tu alteri pannum mittis, vt corpus vestiatur, alter tibi columnas mittit, quibus domum fulcias. Sic tibi lana, illi lapides, immò vtraque vtrique profunt. Rusticus è pago lac & butyrum fert in urbem; ex vrbe refert instrumenta agriculturæ. Vtiliter igitur aliquid deest in vno loco, vt id, quod superest, ad alterum locum exportet, & amicitiam gignat necessitas commeandi.

At hæc sudore constant? & vt dicitur, dij omnia laboribus vendunt? Hoc primus noster parens nobis meruit, cui dictum est; *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane.* Culpam sequitur pœna. Sed pœna utilis, quia labore parta vitam sustentant; immò & pœna leuis, quia multis labor est iucundus, cum ignauia naturæ aduersetur; & homini nihil tristius sit, quàm otio torpere.  *homo enim nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum.* Quia igitur, vt S. Hieronymus ait, *Nihil sine magno labore vitæ dedit mortalibus,* & hoc ipsum homini natura suaue, vtileque facit, & deses cibo indignus censetur, iuxta illud: *Si quis non velit operari, nec manducet,* non solum mirandum non est, si non sint vbique Elysijs campi, aut Thesalica Tempe, sed etiam inter diuinæ prouidentiae beneficia numerari potest, si quibusdam Deus sterilitate loci offert occasionem laborandi. Quin & plurimi Sanctorum deliberatis consilijs, loca aspera, atque inculta elegerunt; vt ibi virtus tanto securius regnaret; vbi nec terra, nec homines possent luxuriare. Sic vixerunt illi, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cauernis terræ. Sic in Ægypto deserta loca coluerunt discipuli S. Marci Euangelistæ. Sic eorum posterius & imitatores Eremitæ. Sic S. Bruno ab Vgone Episcopo Gratianopolitano montes totius Diocesis asperissimos, quos Carthusianos appellant, impetrauit habitandos. Nimirum ad sidera seriò tendentibus aspera in vias vertuntur. Quemadmodum etiam ad Tartara currentibus via expeditior est, per pascua pingua. Plerumque enim vbi magna rerum, ibi non parua scelerum est abundantia. *Hinc felix illa Campania,* ait Plinius, *ab hoc sinu incipiunt viriferi colles, & temulentia nobilis, succo, per omnes*

I L  
Gen. 3. 17.

Iob. 5. 7.

S. Hieronym.  
ep. 13. ad Paulinum.  
2. Thessal. 3. 10.

Hebr. 11. 38.

Plin. li. 3. c. 5.

omnes

omnes terras, inclyto, atq; ut veteres dixerent, summum Liberi partem cum Cerere certamen. Quid in ista tam beata regione creuit Lolium. Ut enim felicitatis comes solet esse superbia, ita aulae Capua cum Campania de principatu certare; adeo ut Campana arrogantia in proverbium venerit; & ex intoleranda ferocia, teste Tullio, ad inertissimum ac desidiosissimum otium perducta sit. Nam, nervis urbis omnibus exectis, urbs ipsa soluta ac delicta debilitata est. Qui locus, ut ait idem, alio loco, propter ubertatem agrorum abundantiamq; rerum omnium, superbiam & crudelitatem genuisse dicitur. Immo luxuries Annibalem ipsum Capua corruptit, & exercitum illius effeminavit. Adeo quem non potuit ferrum emollire, quem nulla vis telorum frangere, nec fortissimus hostis quiuit fatigare, succubuit amoenitate terrae superatus. Quamobrem providè olim monuit legislator ille: *Obsequena, & caue, ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque iudicia, & ceremonias, quas ego praecepit tibi habere ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras edificaveris, & habitaueris in eis, habuerisq; armenta bouum, & ovium greges, & genti & auri copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Dominum Dei tui.* Itaque adeo inter mala non est numeranda mala terra, ut etiam beneficium; & terra fecunditate nobilis, praecipuum virtutis esse possit, inducereque in Dei oblivionem.

## III.

Quamquam nec illud mihi propositum est, retractare, quod supra dixi, Paradisum, terram Gessen, & regionem Chanaan, à benevolente Deo Hebraeis esse consignata. Multis Deus dicit, quod Isaac dixit ad Iacob: *Dei tibi Deus de rore cali, & de pinguedine terrae, abundantiam frumenti & vini.* At dixit Isaac etiam ad Esau: *in pinguedine terrae, & rore cali desuper erit benedictio tua.* Pari pacto Deus nunc malis, nunc bonis bonam; & non raro etiam bonis & malis malam largitur terram. Bonà boni utuntur, mali abutuntur. Ex mala boni bonam faciunt; mali ostendunt se malos. Quo pacto ait Salomon: *Per agrum hominis piger transibit, & ecce totum repleverant urticae,* quas aratro contundere debuisset; ut agrum subactum fimoque saturatum in fructum educeret. Sed *de stercore bouum lapidatus est piger,* qui cum haberet, unde agros pingues redderet, maluit inopiam pati. Siquidem *omnis piger*

Cic. in orat.  
pro Rullo.

Cic. in orat.  
ad senat. post  
reditum.

Deuter. 3. 11.

Gen. 27. 28.

Ib. v. 39.

Prou. 24. 30.

Prou. 10. 5.

Prou. 20. 4.

piger. semper in egestate est. Ast homo sedulus, in sterili solo, demonstrat, industriam remedium esse sterilitatis. Et, quia, ut Serenus Abbas, apud Cassianum, ait, *Nulla virtus sine labore perficitur*, homo sedulus eadem operâ & virtutem aratro, & agrum exercet: inde diues, vnde desidiiosi egestatem patiuntur.

Cassian. col-  
lat. 7. cap. 6.

IV.

Rusticus plures liberos, quàm nummos habebat. Morti vicini omnes conuocauit, eosque circa lectum flentes ita affatus est. Ego, o mei charissimi, à diuturno labore tandem vocor ad quietem. Antè igitur, quàm à vobis in terram abeo, hæreditatem vobis vestram indicabo. Nec verbis multis vtar. Nam in vnicâ quidem vinea, tamen thesaurum vobis relinquo. Dixit, & vixit. Filij à funere vix regressi, vertere palâ cespites, offringere glebâ, farrere terram, & totam adeo vndique circumfodere vineam cœperunt, vt thesaurum reperirent. Sed thesaurum quidem non inuenientes, vineam fertilem fecerunt, quæ illis, magni instar thesauri, fuit. Plinius, postquam Manij Curij retulit dictum: *perniciosum intelligi cinem, cui septem iugera non essent satis*; itémque postquam addidit: *Hæc autem mensura plebei, post exactos reges, assignata est*, hanc quæstionem subjunxit: *Quenam ergo tanta vbertatis causa erat?* & respondet: *Ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri (vt fas est credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore, sine illi eadem curâ semina tractabant, quæ bella, eademq; diligentia arua disponebant, quæ castra: siue honestis manibus omnia latius proueniunt, quoniam & curiosius fiunt.* Serentem inuenerunt dati honores Serranum, vnde cognomen. Aranti quatuor sua iugera in Vaticano, quæ prata *Quintia* appellantur, Cincinnato viator attulit dictaturam, & quidem, vt traditur, nudo, plenoq; pulueris etiamnum ore. Cui viator, vela corpus, inquit, vt proferam Senatus populiq; Romani mandata. Ab his non inuita, nec indigne ferens, aut lûrda colebatur tellus. Immò olim de cultura agri præcipere, principale fuit. Siquidem & reges fecere, Hiero, Philometor, Attalus, Archelaus; & duces, Xenophon, & Pœnus etiam Mago. Quin & M. Cato, D. Syllanus, M. Varro, qui octogesimum primum vitæ annum agens, de ea re prodendum putauit. Catonis oraculum est: *In re rustica operâ ne parcas.* Qui etiam inter primâ spectari iubet, vt operariorum copia prope sit. Vt ager sit bene

Plin. nat. hist.  
lib. 18. cap. 3.

Idem ibid.

Idem cap. 5.

Ff

edifica-

adificatus & cultus. Nihil enim est damnosius deserto agro. Idem  
que Cato interrogatus, quis esset certissimus quasius, respondit. Si bene  
pascas. Quis proximus? si mediocriter pascas. Inde illa reliqua oraculo  
Idem cap. 6. Nequam agricolam esse, quisquis emeret, quod prestare ei fundus pos-  
set: Malum patrem familias, quisquis interdum faceret, quod nocturnus pos-  
set, nisi in tempestate cali. Peiorem, qui, profectis diebus, ageret, quod  
feriatis deberet (Nimis hoc Ethnicum præceptum ieruant Christiani, rustici, sacrum omne lucro postponentes). Peßimum  
qui sereno die, sub tecto potius operaretur, quam in agro.

V.  
Plin. loc. cit.

Nequeo mihi temperare, quo minus unum exemplum antiquitatis  
afferam, ex quo intelligi possit, apud populum etiam de culturis agendi  
morem fuisse, qualiter defendi soliti sint illi viri. C. Furius Cremona  
seruitute liberatus, cum in paruo admodum agello largiores manuum  
fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in inuidia manuum  
erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficijs. Quamobrem à Sp. Albia  
curuli, die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus  
oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & ad-  
duxit filiam validam, atque (ut ait Piso) bene curatam ac vestitam,  
ferramenta egregie facta, graues ligones, vomeres ponderosos, bona  
saturos. Postea dixit: Veneficia mea, Quirites, hæc sunt, nec possum  
vobis ostendere, aut in forum adducere, lucubrationes meas, vigilias  
& sudores. Omnium sententijs absolutus itaq; est. Profecto, opera  
non impensâ, cultura constat. Et ideo maiores fertilissimum, in agro  
oculum Domini dixerunt.

VI.

Quæ quia ita sunt, se ipsum de pigritia accusat, quisquis ac-  
cusat terræ sterilitatem. Non Creantis, sed villicantis culpa est. Si  
ager nihil parit. Non est dignus metere, quisquis non dignatur  
feminare. Quid Paradisum exigis, homo, unde exulas? quid ter-  
ram, clamas, esse maledictam, qui benedictionem ipse repudiasti  
qui ipse, si vis laborare, potes fecundam facere? Nonne vides  
fegetem? non intelligis abiecti in arua feminis vberem vsuram?  
Scribitur solummodo granum, sine folliculi veste, ait Tertullianus, sine  
fundamento spica, sine munimento arista, sine superbia culmi; exurgit  
autem copia faneratum, compagine edificatum, ordine structum, cultum  
minutum, & vsquequaq; vestitum. Neque hæc experientia est ho-  
dierna duntaxat. A condito orbe terra gignit, & non fatigatur  
dat,

Tertullian.  
lib de resurr.  
carnis. c. 12.

dāt, & non exhauritur; expectat aratrum, vt præbeat fructum. Denique, teste S. Ambrosio. *generatum restituit, quod accepit, & usurarum cumulo multiplicatum. Homines saepe decipiunt, & ipsa generatorem suum sorte defraudant. Terra fidelis manet. Et, si quando non soluerit; si forte aduersata fuerit, frigoris inclementia, aut nimia siccitas, aut immensa vis imbrium, alio anno, superioris anni damna compensat. Ita & quando proventus spem destituit agricola, nihil terra delinquit; & quando arridet ubertas facunda matris, se partus effundit, vt nunquam vllum dispendium suo inferat creditor.* Nemo itaq; dicat, non esse se in Palæstina; non habitare multos in terra Gesen; nusquam extare amplius Paradisum. Palæstina fieret etiam trans Iordanem, si non deessent, qui vellent Iordanem inducere irrigando; aut gnauâ operâ cultuq; terram Gesen facere. Denique multis vnus iugeris fundus fit Paradisus; qui modico contenti, seruant laborem, & merunt benedictionem.

S. Ambrosii. l. 3.  
Heraclit. c. 8.

omni.

Qui autem citra arationem citraq; sementem, quod aiunt, volunt pinguescere; merito esuriunt. Illum terra alit, qui terram colit. Nam, vt Socrates dixit: *quemadmodum nec mulier sine viro, sic nec bona spes absq; labore quidquam parit.* Vivunt enim homines multi, contenti ijs, quæ sunt ab alijs parata, quod pigri est ingenij, & tantum fruges consumere nati; ac Dei ope indigni. Quia, vt Sallustius loquitur, *vbi socordia atq; ignauia te tradideris, nequam deos implores: irati infestiq; sunt.* Cum Deo enim manum mouere oportet, qui non vult desides nos esse, atque otiosos. *Nimis homo nihili est, qui piger est.* Qua de causa Anaxarchus dicebat, si quis alterum audiret imprecantem sibi manus & pedes iniuriales, iratum illi, procul dubio, fore: diuites autem, cum re ipsa manus suas pedesque faciant inuiles, interim ob hoc ipsum se beatos existimare. Nec diuites hoc tantum agunt, sed plurimi quoque egeni, qui mendicare malunt, quam laborare; immo esurire potius, quam opera hand esse parci sua. *Abscondit piger manum sub asosilla, nec ad os suum applicat eam.* Quid ergo sequitur propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo astate, & non dabitur ei. Itaque omnis piger semper in egestate est. Quod vel Ethnicus agnouit, cuius notum est illud dictum: *Vbi pro labore desidia, pro contentia atq; equitate libido & superbia inuadunt, fortuna simul cum*

VII.

Stob. serm. 108.

Sallust. in Catilin.

Plant. Rud.

Stob. serm. de otio.

Proverb. 19.

Prou. 20.

Prou. 27.

Sallust. in Catil.

Ff 2 moribus

*moribus mutatur.* Quis enim vel hominem eum iudicet melius dignum, qui non solum ipse à labore abhorret, sed etiam induriam in alijs detestatur? Qualis fuit ille Sybarita, qui iter faciens, per agros, cum videret quosdam fodientes, dixit: *Sepe Etando illos fodientes rupturam capere.* Quid illi contigisset, si ipsa sarculum sumpsisset in manus? non ruptus modò, verum etiam diruptus fuisset, mediùsque crepuisset. Quis talibus terram mollem precaretur? quis agrum fecundum optaret? Si enim ab hominibus, Tullio iudice, *contemnuntur hi, qui nec sibi, nec alijs profunt; in quibus, ut dicitur, nullus labor, nulla industria, nulla cura est.* cur Deus desidiosus bona vitro cogatur suppeditare? Cessat terra, quia ipsi cessant. Non igitur illi agrorum, sed agri illorum inertiam imitantur. Itaque penes illos culpa est, penes quos est causa sterilitatis. Non ubique frumentum, ubique tamen terra ferta molumentum; etiam ibi, ubi montosa est, nam metalla ferta; aut si neque ista, saxa præbet, quæ pretijs venduntur, in statuas, aut columnas elaboranda. Denique in id varia est terra, ut alibi materiam suppeditet ædificandi, alibi medicinas subministret, alibi iumentis pabulum, alibi hominibus cibum pariat, ac ipsa hac raritate delectet.

VIII.  
S. Basil. orat.  
9.  
Idem Basil.  
hom. 5.  
Psalm. 115. 12.  
Hac de causa D. Basilus docens, quocumque oculos quis circumferat, beneficentiæ fontes semper patentes videre: ad terram denique aspiciens, affirmat eam hominis pedes pro fulcimine subire, at fructus omnes vni tandem homini gignere. *Nam et bestia in huius muneris cõmunionem veniunt, ait, homini tamen principaliter mensa telluris adornata est. Ideoq; Lyricen Prophetam vocans, dum lyram pulsat, producens, inquit, fenum iumentis, & herbam servituti hominum. Bestiarum genus alit, & hominis famulitium, quibus eorum alimenta, hominis sint honestamenta.* Idem, in his omnibus plurima Dei beneficia, ac hominis iucundas utilitates agnoscens, ait, alio loco. *Si quando latius aridet vite institutum, illam deprecamur Davidis vocem: Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Ex nihilo effecit, ut essemus, ac produxit; dono rationis ornavit; inuentum artium ad vitam tuendam, gratitudo contulit. Et terra visceribus alimenta eduxit. In misericordiam dedit omnigenam pecus. Propter nos imbres, sol, montana, campestrisq; regio pulchre ex-*



culta. Propter nos amnes fluunt; promanant fontium scatebrae; mare ad negotiandum naues admittit; & fodinis effodiuntur opes. At quid opus est, hac persequi? Deus ipse salutis nostrae causa, inter homines conuersatus est; Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; sol ipse iustitiae medius eorum factus est, qui sedent in tenebris. Vita ipsa venit ad mortem, mortem autem crucis: ob mortuos resurrexit; Spiritus S. charismata distribuit: multiplices coronas promisit; delicias Paradisi; regni caelestis gloriam; & cetera, quae numerari non queant. merito vt exclamemus. Quid retribuemus Domino, pro omnibus, quae retribuit nobis?

C A P V T XVIII.

Varij modi, variisque cause, ob quas terra elementum indolem mutat, & verò, suapte natura immobile, tremat.

**M**agnam diuinæ beneficentiæ argumentum est terra, cuius muneribus, quia non solum aequissimum est priuari ignauos, sed multò etiam iustius plecti quosdam, qui in ea, in ignominiam Conditoris, viuunt: meritò eadem etiã subinde fit diuinæ iustitiæ & speculum, & instrumentum. In ea enim nonnunquam Numinis ira luculentè apparet. Neque vnus est per illam puniendi modus. 1. Terra relinquetur deserta, ait Prophetes. Vbi nemo habitat, ibi nemo arat, nemo metit. Quae incolae habet, regio, inquit Xenophon, magni pretij possessio est; eademque, si ab hominibus deserta sit, etiam commodis ipsis caret. Terra ergo deserta deserit & ipsa: ac saepe preuenit, vt deseratur. Nam 2. Etiam si sint, qui stiuam torqueant, qui vomere lacunam faciant, qui sulcum imprimant, qui semen iactent; immò qui centum aratris terram vertant, tamen nonnunquam aquae pessima sunt, & terra sterilis. 3. Aliquando aquae penitus nullae sunt, si clausum fuerit calum, & non pluerit, propter peccata mortalium. 4. Aliquando nimiae sunt, vt computrescant semina; & tantae, vt terram non rigent, sed mergant: sicut in diluuiò accidit. 5. Aliquando imbres frigore concresecunt, vt percutiant: sic fata verberantur, longiq; perit labor irritus anni. En pluam cras, ait, hac ipsa hora grandinem multam nimis. 6. Aliquando iam flaua Ceres manus & falcem postulat, cum noxiæ animantes spem propin-

I.

II.

Isa. 6. 11.

Xenophon.  
lib. 4. de In-  
stitut. Cyri.

4 Reg. 2. 19.

3 Reg. 8. 35.

Gen. 7. 4.

Exod. 9. 18.